



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 4. Quænam genera peccantium maximè de spe decidant?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)



auari, luxuriosi, venefici & magi) plerumque soleant desperare? Esse tales, non nego; desperandum tamen illis esse, pernego.

§. IV.

*Quenam genera peccantium maxime de spe decidant?*

**Baronius**  
**1017.**

Circa annum Christi 1017. in Aquitania, ante D. Io. Baptistæ festum, tribus diebus, è cælo, pluuia sanguinis cecidit; qui cum in lapidem aut carnem incidisset, non poterat elui; si verò supra lignum lapsus esset, lauabatur. De hac re consultus Fulbertus Episcopus Carnotensis, *per lapidem, inquit, impij, per carnem fornicarij significantur; per lignum medij, qui neq, molles, ut caro, neq, ut lapis duri.* Addit *impios, & fornicarios indelebili nota, in sanguine suo, morituros; medios, per mortis angustiam, saluandos.* Verè lapides sunt homines impij, & indurato corde; apud quos *sanguis sanguinem tetigit, qui peccatum peccato addiderunt; postquam enim toti sunt scelere, velut impuro cruore, inquinati, addunt alium sanguinem, qui priorem deleri non sinit, desperationem.* Quod etiam *carni deditis accidit; qui ad eò plerumque molles sunt, ut existiment, se voluptates corporis non posse abdicare, atque*



que idcirco, in sanguine suo moriantur. Impij illi adamante sunt duriores: adamas hirci sanguine dicitur liquefcere; illi autem neq; Christi quidem sanguine molliuntur. Homines autem carnales Adonidis sanguinem sanguini Christi anteponunt. Hinc ineluibili desperationis nota maculantur; quæ est totius malitiæ complementum. Nam vt D. Chrysoftomus ait, *Peccantes non dolere magis Deum exacerbat, quàm peccare. Hominem quidem exacerbat, & amicos, & vicinos rogas: & siue semel, siue amplius te repulerit iratus, non recedis, sed auges supplicationem; Deo verò tuo exacerbato, oscitas, & recedis, & delictis vacas: quomodo non ex hoc ipso magis irritabis eum? Quapropter dignus es terram subire, nec hunc solem intueri, neq; penitus spirare; quòd tam facilem habens Dominum, & eum exasperas, & exasperans pœnitentiam non agis.*

S. Chry-  
soft. hom.  
46. ad po-  
pulum,

§. V.

*Sanguis Christi optimum antidotum  
contra desperationem.*

Quid ergo tanta Dei facilitas? quid patientia? quid clementia exigit? vt ne impij quidem, & toti carnei desperent. Ad hoc Deus homo factus est, ad hoc sanguinem fudit, vt impijs iratum iudicem placaret, vt

Bb 3

homi-